nubant, quam statim annos pubertatis attigerint. Hos sequuntur quasi omnes mulieres, disciplinam eorum sectantes et minus ad ceremonias Alcorani attendentes. Sunt enim foeminae Sarracenorum verecundissimae et honestissime in vestitu velatae et in omnibus exterioribus adeo pudicae, quod non est comparatio earum ad nostras. Faciunt autem illas actiones, ut Deus det eis gratiam, non ut mereantur.

Tertia secta illorum est, qui dicunt, quod homo solum salvatur per propria opera et quod nec gratia sit necessaria, nec legis observatio, et illi mira operantur in diversis exercitiis, plus quam priores, quia de priori secta sunt multi otiosi et taediosi, illi autem sunt vigiles et laboriosi et habent valde multos sectatores. Istae vero tres sectae sunt omni populo manifestae et plures inter se tam in privato quam in publico dissensiones gerunt. Sed quia aequaliter sunt aestimatae ab omni populo, nulla potest praevalere alteri, sed potentes student eas commodare.

Quarta secta est illorum, qui dicunt, quod unusquisque salvatur in sua lege, sub qua natus est, nec aliquam legem alteri praeferunt, sed omnes leges salutares esse dicunt et pro martyribus colunt omnes occisos pro quacumque lege. Ipsum Anaxagoram philosophum, qui fuit ab Atheniensibus occisus, quia dicebat solem esse lapidem ignitum, et Maccabaeos et Christi martyres venerantur. Illius sectae sunt multi, sed non fit manifeste disputatio de ea, quia derogat legi Machometi, et quia pauciores sunt, succumberent in disputationibus. Elphahallo Calinus noster erat illius sectae, ut patet P. 1. fol. 222. A. In talibus fatuitatibus sunt disputationes eorum et studia, ita, quod illa urbs olim sapientiae nutrix, Memphis, Delta, Heliopolis, est nunc his temporibus errorum inutilium inventrix. In eam enim olim mundi sapientes commigrabant a finibus mundi, ut Memphiticos vates audire possent; ut Pythagoras, de quo loquitur Jeronymus in epistola ad Paulinum, et Plato. Sed et (**111 a**) Abraham et Moyses in Heliopoli prudentiam discentes Deo dilecti facti sunt. Et de multis legitur hic profecisse, ut infra patet fol. 128. Sed nunc praeter praedictas sectas plures sunt aliae sectae inter eos, in quibus manifeste patet, eorum legem esse fictam et falsam et nisi diaboli nexu essent conglutinati et uniti, non paterentur se invicem, nec possent regi. Haec grandis communitas regitur per Soldanum

115
113
119
109
124
104
164
064
214
014
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;